



SANCTUS Romaricus nobili loco inter Francos
Sortus, Sigeberti primi Habsburgensis comitis
propinquus fuit. Hunc parentes in omni genere li-
terarum & uirtutum educarunt, atque diuinis offi-
cijs incumbere uoluerunt. Itaq; Romaricus ma-
gnam eruditionem nactus Euangelium Christi an-
nunciauit, atque homines cuiuscunq; conditionis
essent sui officij admonuit. Cum autem is Theode-
rici regis Burgundiæ, qui fratrem Theobertum in-
terfecerat, tyrannidem reprehendisset, præcipue
uerò quod Hermenbergam Bertarici Gothorum
regis in Hispania filiam nullis de causis dimisisset,
unà cum S. Desiderio & Columbano Ecclesiarum
ministris in exilium pulsus fuit. Is ergo eam iniuriam patienti animo ferens,
habitationis suæ locum in solitudine luræ & Vosagi montium elegit, atq; ibi-
dem S. Theodati cœnobio renouato accolas in fide Christiana strenuè instru-
xit. Vnde etiam postea locus is à S. Romarico mons Romaricus aut Romer-
sperg dictus fuit, nō procul à celeberrimis illis thermis, quæ hodie Plum-
bariæ appellantur. Floruit S. Romaricus anno Christi sex-
centesimo duodecimo. Laz. lib. 1.

Geneal. Aust.